

pterea captius ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum sine vilo termino. Et iterum in psal. Quadraginta annis proximus sui generationi huic, & dixi semper hi errant &c. Caueamus dilectissimi detestabilem hanc ignorantiam, ne incidamus in horrendum supplicium. Caueamus (ait apostolus. Heb. 4.) ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. Agnoscamus quemadmodum in medio nostrum, stat etiam qui scit, qui eum nesciam.

Dominus non solum venturus, sed etiam est presens.

Dominus, & redemptor noster non solum venturus est, sed & nunc presens est. Venturus quidem est in festo vicinante per gratiam augmentum omnibus quos paratos inueniet, quos & dulciter consolabitur, sicut canit ecclesia in Responsorio. Descendit visitare, & consolari omnes, qui eum toto corde desiderant, nihilominus presens stat in medio nostrum. Stat quidem immutabiliter, indistans omnibus, non solum per essentiam, presentiam, & potentiam, sic tractat magister dist. 37. lib. primi. Ait namque dominus. Coelum mihi sedes est terra autem scabellum pedum meorum. Esa. 66. & cap. 40 de eo dicitur. Coelum nititur palmo, & terram continet pugillo. Est enim omnibus interior, & exterior, inferior, & superior. Regendo superior, portando inferior, replendo interior, circumdando exterior, ut ait Grego. Hom. 18. in Ezechielem. Et 2. moral. §. 24. Fulchre Et sine locali diffinitione, aut circumscriptione caelum implet, & terram. Exemplum accipe de anima respectu corporis, quod viuificat Hierem. 23.

Verum etiam in medio nostrum stat per considerationis indistantiam omnia nostra clarissime prospiciens, cogitationes, & desideria, motus, intentiones, verba, & opera, certis omnia cognoscens, quam aliquis in seipso. Hinc scriptum est. Oculi domini multo plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & hominum

corda intuentes in absconditas partes. Eccl. 23. & Hierem. 23. E vicino ego sum dicit dominus, & non Deus de longe. Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? Nec mirum si infinita sapientia quae a fine ad finem attingit, omnia sint cognita. Si ei, in quo viuunt vniuersa, quae facta sunt, omnia sunt aperta. Si nihil ignorat, in quo velut in speculo mundissimo omnium possibilium rationes ideales perpetuo reuertunt. Denique secundum prophetam, qui finxit oculum quomodo non considerat? Quomodo oculum in te non intendat scitum, qui fecit tuum? Non eras, vidit te, ut esses, & nunc non curat te cum sis? Velis nolis (ait August.) Videt te, & non est ubi ab oculis eius abscondas te, sermone 10. de verbis euangelii. Et ideo pulchre dixit Ioannes. Medius vestrum stetit, non in principio, aut in fine, qui in medio stat, velut centum aequaliter distat ab extremitatibus, & angulis, ideo aequaeclare videt, qui quid in singulis continetur, secus si in principio staret vel in fine. Ita Deus, cui nihil minus cognitum est, nulla creatura inuisibilis, sed omnia nuda, & aperta oculis eius. Heb. 4. recte dicitur, quasi de medio omnia intueri.

Nec si cognoscendo transit, sed stat immobiliter, nullus vnquam obliuiscitur, sed vniuersa praeterita, & futura velut sibi praesentia contemplatur. Domino enim Deo antequam crearetur omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia Eccl. 23. & 39. Opera omnis carnis coram illo a seculo usque in seculum respicit. Quoniam (ut offedit Grego. 2. moral. §. 37.) sic Deus mutabilia condidit, ut apud se transire nequaquam possint. Poet. profa. vltim. quinti determinat bene ad propositum, nec tempus in conspectu eius defluit, quod apud nos foras decurrit. Unde fit quod in aeternitate eius fixa maneat ea quae non fixa exterius seculorum volumina emanant. Idcirco quia Deus sine mutabilitate cuncta simul respicit, & bona quae ad vitam remunerat, & mala

Christus in medio stat immobiliter.